

dam, certo tamen ordine digestum diuini verbi declamatoribus proposui, vt ex ea quidquid instituto suo aptius videretur, eligere possent. In vnoquoque autem loco, primum quidem selectas Patrum sententias collocaui, deinde quæ ipse vel ex sacris literis, vel assidua meditatione animaduertentem subieci: His multa additurus nisi mortalitatis meæ & ingrauescentis ætatis metu dum alia parantur, hæc ipsa quæ paraueram interciderent perpetua obliuione sepelirentur. Suscipiat ergo Sanctitas vestra hoc quicquid est operis qua fronte clarissimi etiam principes parua suorum ciuium munuscula excipere solent, non oblatae rei pretium, sed animi studium & voluntatis propensionem considerantes. Dominus Iesus Sanctitatem vestram nobis ac toto orbi Christiano quam diutissime seruet incolumen.